

112 CAP. VIII. DE RELIQ. AD CLER. PERTINENTIBUS.

irritans : quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane : sequitur, ut Episcopus dispensare non possit. Nam etiam in adulterio, et minoribus criminibus Episcopus non potest dispensare, quando leges vel Canones prohibentes annullant actum factum contra prohibitionem. Deinde quia Nicolaus III in Constit. 2 incip. NOVERIT UNIVERSITAS statuit ut haeretici, eorumque filii usque ad secundam generationem beneficis habitis perpetuo careant, et ad alia similia nequam in posterum admittantur, quibus verbis censetur adempta Episcopis dispensandi facultas, ut notat glossa in cap. CUPIENTES verbo *Perpetuo* de Elect. in 6°. » Demum « quia cum versemur in concernentibus fidem et statum universalis Ecclesiae, qui per filios haereticorum ad officia et honores admissos, si paterna dogmata retinerent, labefactari posset, et ita tractemus de re graviori, consequens est Episcopum dispensare non posse, cap. DILECTUS de temp. Ordin., et ibi glossa verbo *Permitta*. » Hactenus Fagnanus in cap. 10 de Haeret. Interim monendum est auctoritatem concedendae veniae ob delictum publicum irregularibus ad Pontificem pertinere; Episcopos autem eas irregularitates relaxare quae ex occulto delicto proficiscuntur; excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, aliquique exceptis, quae apud Judicem deductae fuerint, Concil. Trident. sess. 24 cap. 6 de Reform.

CAPUT VIII.

DE RELIQUIS AD CLERICOS PERTINENTIBUS.

§ 70.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

« Nihil est quod magis alios ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum qui se divino

§ LXX. DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM. 113

ministerio dedicarunt. Quapropter sic decet omnino Clericos vitam moresque omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliquique omnibus rebus nil nisi grave, moderatum ac Religione plenum praeseferant, levia etiam delicta, quae in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. » Haec de vita et honestate Clericorum Trid. Synodus sess. 24 cap. de Reformat. Itaque Clerici non modo omnem curam in interna morum honestate et sanctitate vitae sibi comparanda collocare debent, verum etiam eos oportet externum corporis cultum, et totam agendae vitae rationem ita componere, ut caeterorum offensionem et suspicionem devitent, ne per eos alii deteriores reddantur per quos deceret fieri meliores.

Jam vero quod pertinet ad externum corporis cultum existit lex tonsurae et vestis Clericalis deferenda. Etsi etenim habitus non faciat monachum, opus tamen est Clericos tonsuram seu coronam in vertice capitis conspicuam, et vestes proprio congruentes ordini semper induere, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Quamvis autem utraque lex sive tonsurae, sive vestis Clericalis antiquissima sit, primis tamen Ecclesiae saeculis minime exstitit, neque enim par fuit, ut ea tempestate Clerici rasum gestarent summum caput, vel uterentur habitu a laicis distincto, ne persecutionibus maxime saevientibus in Christianos, Tyrannorum odio ipsi se proderent et objicerent. At cessatis jam pridem his causis, Clerici saeculo sexto, ut multorum opinio est, Monachos aemulati ab iis acceperunt capitis tonsuram, quae humilitatis et modestiae tacita esset significatio, eodemque saeculo uti coeperunt habitu a laicis distincto, nempe Romanorum toga, quae vestis erat usque ad talos extensa : laici autem brevioris habitus formam a barbaris illatam adoptarunt.

Caeterum exploratum est, jam a quarto et quinto saeculo Ecclesiam sollicitam fuisse, ut vestes Clericorum modestia

114 CAP. VIII. DE RELIQ. AD CLER. PERTINENTIBUS.

saltem a laicis distinguerentur, quod constat ex Concilio Carthaginensi IV an. 398 can 45 : « Clericus professionem suam et in habitu, et in incessu probet. » Illud etiam observandum ducimus in iis quae ad habitum Clericorum pertinent, praeter Sacros Canones et Constitutiones Apostolicas leges quoque Synodales cujuscumque Dioecesis religiose servandas esse.

Haec de tonsura et habitu clericali : at multo plura sunt et graviora, quae Sacri Canones de Clericorum moribus et vitae agendae ratione sanciverunt. In primis itaque Clerici vetantur :

1. Incontinentiae et impudicitiae sordibus se contaminare, nullamque familiarem consuetudinem cum mulieribus habere, quum eos non modo malum ipsum, sed etiam omnem mali speciem atque suspicionem vitare oporteat : « Non licet Clerico introductam habere mulierem, praeterquam utique matrem, vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas quae omnem suspicionem effungiunt. » Concil. Nicaen. I can. 3. Itaque eis non licet mulierum vel domos adire, vel cum eisdem cohabitare, si extraneae sint; licet autem si consanguineae usque ad secundum gradum, dummodo pravos non habeant mores, nullaque in eis suspicio cadat : ipsis quoque licitum est retinere ancillas, quarum ope in domesticis rebus utantur, quotiescumque sint provectionis aetatis, praesertim integris probatisque moribus, quod judicium ad Episcopum praecipue spectat.

2. Crapulae et ebrietati se dedere : « Crapula et ebrietate omnes Clerici abstineant, » cap. 14 de vita et honest. Cleric.; eo quod crapulae et ebrietates exitium mentis inducunt, et libidinis provocant vim, qua de causa in Clericum, qui monitus ab eo vitio se non abstinet, Episcopus poenam suspensionis animadvertis, cap. 14 eod. tit. Praeterea non decet Clericos ad tabernas divertere, nisi ob necessitatem, cap. 15 eod. tit.

3. Aleis et taxilis ludere, vel cuicunque ludo vacare, in

§ LXX. DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM. 115

quo sors potissimum dominatur, Can. CLERICI eod. Hujusmodi enim ludorum genus ingentium malorum origo est, et in honestum et humanae societati ac familiis admodum perniciosum, adeoque legibus ecclesiasticis et civilibus tum Clericis, tum Laicis jure optimo interdictum, cap. 15 eod. tit., et L. 1^a Cod. de Aleatoribus. Est autem alterum ludi genus, quod ex ludentis ingenio et industria maxime pendet, cui ut pote honesto, et non raro etiam ad spiritus relaxationem utili operam dare Clerici non vetantur, dummodo, ut inquit S. Thomas 2^a, 2 quaest. 68 art. 2, « ludus congruat personae, tempori et loco, et secundum aliquas circumstantias debite ordinetur, ut scilicet sit et tempore et homine dignus. »

4. Venationem exercere, cap. 2 de Cler. Venat., et Can. 46 Concil. Lateran. IV : « Venationem et aucupationem universis Clericis interdicimus, unde nec canes, nec aves habere praesumant. » Et S. Hieronymus : « Nullum, ait, in Scripturis Sanctis invenimus venatorem, Esau venator erat, quoniam peccator erat. Hinc a Sacris Canonibus interdicta Clericis venatio est ; » in Can. ESAU distinct. 86. Duplex autem venatio : altera clamorosa, quae fit cum magno tumultu et strepitu armorum et canum ad occidentas majores feras : altera quieta, quae nempe laqueis retibusque, aut etiam balista lignea et sine strepitu ad capiendas volucres minoresque bellugas non feroces instituta. Quanquam vero magis consentanea Sacris Canonibus opinio sit utroque genere venationis Clericos interdici, multorum tamen sententia est, ob diurnam consuetudinem clamorosam tantum venationem, non quietam eisdem prohiberi.

5. Arma gestare : « Clerici arma portantes excommunicentur : ob hoc supra modum viluisse gravitatem et religionem Clericorum, » Can. 2 hoc tit. Excipitur casus necessitatis, cap. CLERICI 2 hoc tit. Multo minus in acie possunt dimicare, nisi bellum sit defensivum, et Laici pares non sint hosti repellendo, Can. SI quis 4 distinct. 51. Confer Giraldum Expos.

Juris Pontificii part. I sect. 311 ubi plures ea de re Constitutiones Apostolicas invenies.

6. Artes quasdam exercere, quibus membra inciduntur vel aduruntur, veluti 1. Chirurgiam vel medicinam facere, neque ob defectum lenitatis irregularitatem effugiunt, si inde mutilatio vel mors sequatur, cap. SENTENTIAM 9, Ne Cler. vel Monac. 2. Viles et sordidas artes ut cauponis et lanii, Clement. I^a hoc tit. 3. Artes minus honestas, veluti in scena ludere, mimos vel comicos agere, larvis incedere et id genus alia quae Clericos omnino dedecent, cap. unic. hoc tit. in 6°.

7. Munera et negotia saecularia gerere : nemo scilicet militans Deo implicit se negotiis saecularibus. Itaque Clericis non licet famulatui laicorum sese addicere, vel alicujus familiae administrationem suscipere, munera Judicis, Gubernatoris et Notarii a Principe laico delata, atque Advocati et Procuratoris coram Judice laico et in negotiis saecularibus obire, nisi causae Ecclesiae, vel pupillorum, aut viduarum, aliarumque miserabilium personarum agantur. Similiter ab officio Tutoris et Curatoris Clerici excusantur ; si vero res sit de tutela vel cura gerenda Pupillorum vel minorum, qui buscum Clerici jure cognationis conjuncti sunt, eam suscipere permittuntur, at cogi non possunt, Nov. 123 cap. 5.

8. Negotiationi operam dare, ne avocentur a rebus divinis, et quaestus causa temporalibus negotiis tantummodo studeant. Nulli itaque Clerico in majoribus ordinibus constitutis, neque etiam Clerico minorum Ordinum, si beneficio Ecclesiastico potiatur, licet quamcumque negotiationem sive per se, sive per interpositam personam exercere, aliena praedia et vectigalia conducere, et cambia uti vocant activa vel suo, vel alieno nomine contrahere, cap. 1 et 6 NE CLERICI. Idem tamen non interdicuntur in sua re negotiari, hoc est res ex propriis praediis collectas vendere, et carius etiam vendere, eas scilicet quas pro se et familia sua emerunt, si superfuerint, modo tamen intra justi praetii fines se contineant. Prae-

terea licet Clericis labore manuum suarum, vel Agricultura vel honesto aliquo artificio sibi victimum comparare sine tamen officii sui detimento, cap. CLERICI caus. 3 distinct. 91. Hac de re confer Benedictum XIV. Constit. Apostol. SERVITUTIS, et Litteras Encyclicas Clementis XIII, datas 17 Septembris 1759.

§ 71.

DE PRIVILEGIIS CLERICORUM.

Ad Clericorum officium dignitatemque honorandam varia eisdem jura et privilegia tributa sunt : id quod nec gentes maxime barbarae suis sacrorum ministris unquam denegarunt. Horum autem privilegiorum duplex genus est : aliqua enim specialia sunt quibus nonnulli Clerici secundum dignitatis gradum, quem in Hierarchia Ecclesiastica tenent, exornantur : alia vero sunt omnibus Clericis communia, de quibus dicendum nobis est. Haec autem sunt primo *Privilegium Canonis* ita dictum a Canone XV Concilii Lateranensis II, ubi sic statuitur : « Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus Episcoporum illum praesumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico aspectui praesentetur et ejus mandatum suscipiat. » Jam vero per violentam manuum injectionem ex communi Doctorum sententia, cui liquide favet textus in cap. NUPER de sent. excommunic., intelligitur quaevis ex terna actio contumeliosa in Clericum vel Monachum : et proinde non solum qui eumdem percutiunt, vulnerant, vel aliter manus et vim inferunt, sed etiam qui insequuntur, qui in vincula detrudunt, qui in custodia detinent, qui in equum cui clericus insidet violenter irruunt, vel laudent, vel occidunt, aut aliis hujusmodi contumeliosis factis personas Ec-

clesiasticas vexant, excommunicationis vinculo detinentur. Porro ab hac censura excusantur qui violentas manus injiciunt ex invincibili sive juris sive facti ignorantia, qui ad sui defensionem vim vi repellunt servato moderamine inculpatae tutelae, aut non odio vel indignatione vel invidia, sed levitate et joci causa, vel sine deliberatione, vel casu fortuito, aut in subito primoque irae impetu, aut disciplinae gratia, aut demum qui ipsum Clericum cum uxore, matre, sorore vel filia propria turpiter agentem invenerit.

Nomine vero Clericorum veniunt Clerici omnes vel prima duntaxat tonsura insigniti, imo et Clerici conjugati, si cum unica et virgine matrimonium inierint, habitum et tonsuram deferant, et alicui Ecclesiae de mandato Episcopi inserviant: non eo tamen privilegio fruuntur Clerici bigami, qui duabus successive, vel unicae non virginis nupserint, neque Clerici qui demisso habitu et tonsura saecularibus negotiis dant operam, si ter ab Episcopo moniti ab eisdem non abstineant, ut infra dicimus, neque etiam Clerici realiter degradati ac solemniter depositi, et actu traditi Curiae saeculari, nec tandem Clerici qui se latrociniis aliisque enormitatibus coinquinarunt.

Monachorum vero nomine intelliguntur Regulares omnes utriusque sexus etiam conversi et conversae, Novitii et Novitiae, imo etiam Ordinum Mendicantium Tertiarii et Tertiaiae, dummodo vel in Communitate, vel in propriis domibus, nuncupato tamen de consensu Ordinarii castitatis perpetuae voto, coelibem vitam traducant, quin et Eremitae, qui eremiticum habitum ex legitima facultate deferunt, et sub speciali Episcopi obedientia alicui Ecclesiae et Eremitorio inserviunt.

Alterum est *Privilegium Fori*, in eo situm ut nemo Ecclesiasticam personam in criminali vel civili quaestione ad judicium saeculare trahere possit. Clericorum itaque exemptio a Laicorum foro privilegium fori nuncupatur. Hac immunitate Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constituta Cle-

rici potiti sunt, ubi primum, sedatis in Ecclesia persecutionum procellis, Christiani Principes imperare coeperunt. Eamdem immunitatem atque exemptionem subsequentibus saeculis et S. Pontifices et Principes maxima inter se consensione Clericis confirmasse liquet ex auth^a HODIE, auth^a CLERICUS, auth^a STATUIMUS Cod. de Episcopis et Clericis, atque ex Decretalibus praesertim tit. de Judic, et foro competen. De hoc privilegio sic statuit Tridentina Synodus sess. 23 cap. 6: « Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus ante decimum quartum annum Beneficium possit obtinere: is vero fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat. » Itaque Clericus beneficium ecclesiasticum possidens fori privilegio donatur, licet neque Clericalem tonsura et habitum deferat, neque Ecclesiae inserviat. Clericus autem beneficium non habens, ut fori privilegio perfruatur, clericalem habitum et tonsuram deferre debet, ac simul alicui Ecclesiae de mandato Episcopi inservire. Concilium enim Tridentinum dicta sess. eas conditiones exprimens utitur alternativis seu disjunctivis particulis *nisi, aut*: « nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum deferens alicui Ecclesiae ex mandato Episcopi inserviat; » namque « in alternativis sufficit alterutrum adimpleri » ex reg. 70 Juris in 6^o. Hoc itaque privilegio Clericus beneficium non obtinens minime fruitur, nisi conditiones a Tridentino latae observet. « Clericos vero qui decreto Concilii Tridentini cap. 6 sess. 23 de Reform. privilegio fori non gaudent, non intelligi privatos privilegio Canonis, » respondit Sacra Congregatio Concilii in Causa Aquensi mense Februarii 1589; siquidem cum in materia poenali et odiosa versemur, verba Tridentini ead. sess. 23, quae privilegium fori tantummodo spectant, non sunt ad privilegium Canonis, de quo nulla ibi mentio fit, traducenda.

Clericus autem conjugatus hoc privilegio fruatur : 1. si cum unica et virgine matrimonium contraxerit : 2. si tonsuram et vestes clericales deferat : 3. si alicui Ecclesiae ab Episcopo deputatus inserviat. At vero Clerici qui unam ex his conditionibus non servant, hoc clericali privilegio privantur; copulativis enim particulis utitur Tridentina Synodus, dum eadem sessione ita prosequitur : « In Clericis vero conjugatis servetur Constitutio Bonifacii VIII, quae incipit CLERICI QUI CUM UNICIS, modo hi Clerici Ecclesiae servitio vel ministerio ab Episcopo deputati eidem Ecclesiae serviant, vel ministrent, et Clericali habitu et tonsura utantur. » Verum « bigamos omni privilegio clericali declaramus esse denudatos : ipsis quoque prohibemus deferre tonsuram et habitum clericalem, » inquit Gregorius X in cap. ALTERCATIONIS de Bigamis in 6°.

Caeterum Clericos omnes sive conjugatos, sive coelibes qui habitum et tonsuram clericalem deponunt, etiam nulla praecedente monitione, jure ipso spoliatos esse privilegio tori, docet Fagnanus in cit. cap. Si quis de foro competenti. Episcopus tamen sua jurisdictione non privatur in eosdem Clericos qui conditiones a Tridentino latae non observant, ideoque quamvis ipsi nequeant privilegium fori allegare, Episcopus tamen eos, quandocumque sibi videatur, potest a Judice saeculari repetere et ad suum forum revocare; quemadmodum saepius definitum est a Sacra Congregatione Concilii, qua de re confer Benedictum XIV de Synod. Dioeces. lib. 12 cap. 2. Imo si Clerici demissso habitu et tonsura delinquent, et postmodum habitum et tonsuram resumentes Ecclesiae inserviant, fori privilegio gaudent, nisi tamen fraus et dolus intercesserit, de quo judicium ferre ad Ecclesiasticum Judicem pertinet.

Verumtamen ad praecavenda mala, quae ex hac libertate clericalis habitus dimittendi atque iterum sumendi, oriri possunt, atque etiam ad evitandas contentiones inter utram-

que potestatem, Saecularem scilicet et Ecclesiasticam, quae plerumque hac de causa excitari solent, satius est Episcopos praecipere Clericis vel per publicum edictum, vel per citationem singulis factam, ut in habitu et tonsura incedant, atque alicui inserviant Ecclesiae, congruo tempore ad utrumque praestandum praefinitio, quod si non obtemperaverint, eos Episcopus ex cap. CONTINGIT de sent. excommun. ter moneat, ut imperata faciant; qua tamen in re non satis est unica monitio, quae tribus aequivaleat, sed tres distinctae requiruntur. Post trinam vero monitionem Episcopi queunt adversus inobedientes sententiam ferre, qua decernatur eos privilegio fori propria culpa orbatos atque spoliatos esse, sine spe illud recuperandi, quod jure meritoque amiserunt. Quod si post hanc sententiam Clericales vestes iterum induere Clerici præsumant, non propterea a saeculari foro sese subtrahent, sed eidem obnoxii non secus ac laici permanebunt: Benedictus XIV cit. lib. 12 cap. 3.

Quaeritur an Clerico liceat suum malefactorum coram Judice laico accusare. Bonifacius VIII, cap. PRAELATIS de homicid. in 6°, statuit id profecto licere, inquiens : « Si Prelati aut Clerici propter metum hujusmodi, quia Judex ad poenam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona libere depraedandi. » Debent tamen, ne irregulares fiant, expresse protestari se id non agere ad vindictam, neque ad poenam sanguinis, bene vero ad solam veritatis manifestationem, uti habetur ex cit. cap. PRAELATIS, et ex Decreto S^e Congregationis Immunitatis 14 Junii 1825.

Si vero Clericus coram Judice laico citetur ut testis, non potest obtemperare, sive causa civilis, sive criminalis sit, nisi primum ab Episcopo comparendi licentiam in scriptis obtinuerit; qua obtenta accedere poterit, et de veritate dicenda juramentum emittere, non tamen laicorum more tactis nempe scripturis, sed more sacerdotali, videlicet tacto pectore. Ubi

vero causa criminalis fuerit, debet praeterea protestari ad formam dicti cap. PRAELATIS.

Antequam caetera privilegia Clericorum propria recenseamus, operae praetium est observare Clericos conjugatos, licet bigami non sint, et habitum clericalem et tonsuram deferant, praeter privilegia Canonis et Fori nullo alio privilegio et prerogativa clericali decorari. Quod quidem post Bonifacii IX Constitutionem, seu litteralem textum in cap. unic. de Clericis conjugatis in 6°, perspicuum etiam est ex Concilio Tridentino sess. 23 cap. 3 de Reform., et Doctores plerique omnes tradunt cum Fagnano in cap. JOANNES eod. tit. : « Neque, inquit idem Fagnanus loco citato, ad hoc requiritur monitio, sed sufficit solus contractus matrimonii; nam ex contrario actu haec privilegia amittuntur. »

Reliqua vero privilegia, saltem praecipua, haec sunt
 1. Exemptio ab omnibus officiis et oneribus, quae cum status clericalis dignitate et functionibus componi non possunt. Hoc privilegium divina ordinatione in Clericos promanat, illudque postulat maxima dignitas status Clericalis, et conservatio tum clericalis auctoritatis, tum libertatis in sacris ministeriis obeundis. Quare exempti sunt a militia, ab excubiis, a vigiliis, ab officiis publicis curialibus, et municipalibus, a tutelis, curationibus atque muneribus sordidis et servilibus. 2. Privilegium competentiae seu capitulis ODOARDUS de solut., vi cuius Clerici in jus vocati a Creditoribus, in id solum quod est supra decentem eorum tuitionem condemnari possint, ne cogantur victim quaeritare, et egere cum dedecore et contemptu ordinis clericalis. Hoc vero privilegium solis Clericis Beneficiatis, atque iis qui Sacris Ordinibus initiati sunt, concedi consuevit.

Denique Clerici filiifamilias plenum consequuntur dominium bonorum adventitorum.

Et hic explicit Liber primus DE PERSONIS.

LIBER SECUNDUS.

DE REBUS.

A personis, de quibus superiori Libro dictum est, ad Res, quae sunt alterum Juris canonici objectum, progredimur. Hujusmodi rerum tria sunt genera. Primum est rerum spirituallium, quae nimis ad animarum salutem proxime referuntur, videlicet Sacraenta, quae caeteris rebus digniora sunt. Huc etiam spectant res spirituales incorporeae, uti gratia sanctificans, virtutes et dona Spiritus Sancti, de quibus disserere proprium est solius Theologiae. Secundum genus est rerum sacrarum, quae sacris usibus, Deique cultui addictae sunt, et in *sacras, sanctas et religiosas* dividuntur: *sacrae* vocantur quae solemni ritu per Episcopum consecrantur, uti calices, altaria, vasa Sacrificii, ipsaem sacrae Aedes; *sanctae*, quae sanctione legis, vel adhibita benedictione de profano commercio eximuntur, uti Ecclesiae, imagines, paramenta, ustensilia, et caetera ejusdem generis; et demum *religiosae*, quae nimis Religionis usui dicatae sunt, uti Coemeteria, Monasteria, Seminaria Clericorum, et Hospitalia. Tertium denique genus est rerum temporalium, quae alendis Clericis et pauperibus, et divino cultui peragendo destinatae sunt, ut Decimae, oblationes et redditus Beneficiariorum.

De hoc triplici rerum genere disputatur exordium sumimus a posteriori, hoc est a rebus Ecclesiae temporalibus, qua in re multa de Beneficiis Ecclesiasticis explanabimus. Dicemus